

www.e-rara.ch

**Carmina gratulatoria, in honorem optimae spei atque indolis
iuvenum, Ioh. Ludovici Domini, Iohan. Iacobi Riedini, Rudolphi
Scheltneri, Iohan. Iacobi Grynaei, Iohan. Friderici Knäblin, Basil. ab ...**

Herr, Johann Ludwig

Basileae, [1607?]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-72609>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

K. A. H. III 59.

C A R M I N A G R A -
T V L A T O R I A ,
In Honorem

Optimæ spei atq; indolis

JUVENVM,

IOH. LVDOVICI DOMINI,

IOHAN. IACOBI RIEDINI,

RVDOLPHI SCHELTNERI,

IOHAN. IACOBI GRYNÆI,

IOHAN. FRIDERICI Knäbblin,

Basil.

ab Apollinea sobole

decantata;

Cum ipsis,

ATHENIS HELVETICIS,

Vir Reverendus

D. M. SAMVEL COCCIUS

II. Junii, Anno Epocha Christiana

∞ 16 CVII.

BACCALAVREATVS honores
conferret.



BASILEÆ,

Typis EXCERTIERIANIS.





Ad

DN. IOH. LYDOVICVM DOMINVM
Basiliensem.

CArmina Castalides DOMINO cantate Camœnæ.
Continue chelin, castas cantate choreas,
Consocio collum clavis crispate corymbis.
Cœlicolas cives cupiens contingere chartâ,
Cum cunis cinctus, confestim candidâ cepit.
Ceus crines capitis convellens crimina cordis
Corde capit Christum, conspectat corpore cœlum,
Celsaq; cum curis condemnat cuncta caducis.
Confessæ certè concordes corde Camœnæ,
Carpere continues cœlestem codice cursum.
Cœli consensum, consensum cœlicolorum
Concipias, celsum cupidèq; capeffere culmen.
Crimina consultes, corrupti cuncta coercere
Colloquii, cunctis communia commoda cense.
Convitiumq; creaturæ condicere cesses,
Concilium cum consilio consistere cura
Cœlesti, celebres conjuncto carmina Christo:
Christo conspecto, conscendes culmina cœli,
Conspicius, cautus, chrysea cervice coronâ.
Clarisona clarum carmen cecinere Camœnæ.

divinat. Arina Basileæ ludebat

Iacobus Stœffius.

Aliud ad Eundem.

Infans cum fueras, & adhuc non utilis annis,
Fudit Apis cordi dulcia mella tuo:
Scilicet inde, tibi larga est data copia sandi;
Hos omen, magnum nomen honoris habes.

TAT-

Turba, TIBI I V V E N I, jam stat numerosa sororum,
 Exornans frontem, nobilitansq; comas.
 Carminis aut hor Apollo, tibi jam laurea ferta
 Offert; virtutis premia certa tua.
 Ergo tuam tacitam pertentent gaudia mentem,
 Exultes plausu, letitiaq; fremas.
 Aoniiq; sient tua pectora plena furoris
 Atq; animum stimulent ista Beata tuum.
 Sic decus immortale tibi; Musa q; perennem
 Contribuet laudem flava Minerva, tua.
 Deniq; ut hoc faustum felixq; tibiq; tuaq;
 Sit Musa, faxit pro bonitate D E V S.

Amoris ergò scribebat

Guilielmus Buletus Yverdunensis.



Ad

DN. IOH. IACOBVM RIEDINVM
 Basiliensem.

C onstituit quondam virtuti inimica VOLVPTAS
 Convenire deos, atq; incusare DOLOREM,
 Invidus ILLE locos se quòd sequeretur in omnes.
 Invocat HÆCCE Iovem precibus, dehinc talia fatur;
 Accipe sereno vultu mea vota, measq;
 Pectore quas imo refero de DOLORE querelas;
 Gaudio quos tempus possum exhilarare per omne,
 Suaviter & sensus quos delectare valerem,
 Contristare vides longi tormenta DOLORIS,
 OLLI nulla quies, me exosam reddit ubiq;
 Hunc ergo extremos digneris pellere ad Indos.
 Hæcubi vix retulit cunctis exosa VOLVPTAS,
 Tunc sermone DOLOR crimen removerq; malumq;
 Aufert, me invirum infelix trahit undiq; dixit,
 Non laudem Achilles tantam famamq; tulisset,

):(2

A' vitio sibi nō metuisset fonte malorum,
 Plato & Aristoteles doctrinā magnus uterq;
 Nomen & æternum tantā virtute parārunť.
 Iuppiter auditis magnis utriusq; querelis,
 Hancce tulit legem quæ durat tempus in omne;
 Esse VOLVPTATEM iussit comitante DOLORE,
 VIRTUTEMq; ævum laudes sequerentur in omne.
 Ergo perpetuos recipis tu frondis honores,
 Virtute egregiā quantos RIEDINE parāsti.
 Te Pater Omnipotens server, ventoq; secundo
 Huncce regat cursum & vitæ benedicat in omni.

M. JOH: WOLLEBIUS.

Aliud Eidem.

Sæpius, ut solidum, solito cum vomere, rursum.
 Scindit arator humum;
 Ille semel postquam segetes collegit, & inde
 Maxima farra tulit:
 Sic RIEDINE, chorum Phæbi, qui pectore toto
 Diligit, atq; colit;
 Triticeas segetes postquam collegeris hasce,
 Primitiasq; tuas:
 Graviter incumbas scriptis, & rebus honestis,
 Pieriusq; jugis.
 Sicq; tua poteris conjungere stemmata, fama;
 Stemmatibusq; decus.
 Fertilis ecce tuus flavus jam campus aristis
 Emicat, atq; rubet.
 Ergo animo forti, terram rimeris aratro,
 Sollicitusq; iterum
 Palladi, Hac etenim tandem virtute rependes
 Præmia digna tuâ.

In veræ amicitia symbolum
 contexebat

GVLIELMVS BVLETVS
 Yverdunenſis.

Ad



Ad Eundem

DN. IOH. IACOBVM RIEDINV

&

DN. RVDOLPH. SCHELTNERVM

Basilienses.

EN Phœbus capiti frondentem imponere Laurum
Gestit, qui dignè Palladis arte valent.
Invigilant studiis, RIEDINVS magno labore.

SCHELTNERVSq; itidem, dexteritate pari.
Certat uterg, sibi palmam deposcit uterg.
Nominis æternum quarit uterg, decus.

En Laurum æternos seruantem frontis honores.

Laureolam primam clara Minerva refert

Vobis, ô Juvenes, Phœbus dat præmia digna.

Hæc, quiæ promeruit, vester in ARTE labor.

Hæc studii præclarus amor bona grata paravit.

Vincenti, præiium suæ laboris honos.

Gratulor idcirco, precor & gratantia vota;

Quò collatus honos gaudia magna vehat.

Pergite, certandoq; insistite fortiter. Atqui

Quod pede cæpistis, semper eatis iter.

Quærite vos Sophiam, Sophia nam quisq; peritus

Ardenti studio commoda mille feret.

Nec, Juvenes, vos jam radix virtutis amara

Abstrahat à cæptis, nec referatq; pedem.

Exosus plerisq; labor: verum æquore diro,

Elapse gratum commeminisse ratis.

Mente bonâ,
Manu amicâ, iussit

Conradus Cellarius Basil.

);(3



Ad

DN. IOH. IACOBVM GRYNÆVM
Basiliensem.

M Ars alios, merces alios, sua quemq; Voluptas
In diversa trahit, nec studia una placent.
Vna placent IACOBE tibi genii ingeniiq;
Sola quies, sola, Musa Charisq;, placent.
Gratulor ergo tibi meritò de nomine LAVRI,
Sintq;, GRYNÆE, tibi tempora longa precor.
Accipe vota mihi lecto manantia corde,
Quamvis è vena pauperiore fluant.
Viribus ipse tuis, fateor, sum laudibus impar;
Nomine nec mea sunt carmina digna tuo.
Sed tamen accipies nostrum, scio, carmen amanter,
Carmen amat siquidem carmine digna gerens.
Ex animi tantos animo tibi grator honores,
Opro successus ex animiq;, animo.

Ὀνομασας χάριν posuit

BASILIVS LVCIVS Basil.

Aliud Eidem.

S Alve fausta dies, quâ nunc IACOBE coronam
Arripis, atq; cupis lætus tibi ferta parari:
Hæcce GRYNÆE dies, quâ distribuuntur honores,
Consistit præsens, proprio quos Marte parâsti.
Ritè decet cingi viridi tua tempora lauro,
Cum tua promeruit virtus, doctrina, laborq;.
Comprecator ergo DEVM Superum, ut tua cœpta secundet,
Ac etiam in studiis, vita & benè seruet in omni:
Vtq; animo casto claros æquare Parentes
Possis, atq; tuos discas cumulare triumphos.
Interea videas seros feliciter annos;
Deinde senex tandem poscas cœlestia regna.

Τὴν φιλικὴν χάριν

DANIEL MÜLLER HBasil.

Ad

Ad EVNDEM.

Non secus ac Phœbus stellas supereminet omnes,
Purpureo clarum dum movet axe diem:
Sic tua Stirps semper perluxit Lampadis instar,
Præbuit & reliquis lumina clara Viris.
Quin tu Majorum vestigia magna sequutus
Innectis capiti myrtea ferta tuo.
Quin propter Sophiam stat COCCIVS ecce verendus,
Qui tua nunc viridi tempora fronde tegis.
Fama igitur, nomenq; erit Indelebile, si quo
Tu pede cœpisti: sic bene semper eas:
Porro, si quid habent vatum præfagia veri,
Posteritas laudes tollet ad astra tuas.

Honoris & amoris ergo

Iohannes Georgius Erißel

HBasilienfis.



Ad

DN. IOH. FRIDERICVM Knäblin

Basiliensem.

Non Deus æquoreus, non & Bellona severa,
Non Hyades tristes, non & Hamadryades,
Detertere valent animum, cui pectore ab imo
Sulpirat nummi pallida & ægra fames.
Sic, te, concedas nunquam, quo absterreat ullus
Improbis ac duris, sisyphiusq; labor.
Sed, quo cœpisti studio scrutarier Artes
Pergas, atq; lubens scripta revolve manu.
Scripta revolve manu, redeunt hinc præmia digna,
Quæ capies tandem, cœpta beante Deo.

Amoris ergo lufit

M. N. B. B.

Aliud Eidem.

Vlatus secum gaudet nunc corde colonus.
 Mēsis ubi letum tempus adesse vides:
Sic KNÄBLIN E nōvā tecum tu laude quietus
 Gaude: namq; tibi jam tua mēsis adest.
Mēsis adest. multi merces fœcunda laboris.
 Quā sata multiplici fœnore reddat ager.
Ecce suo Phœbus jam munere comprobat ipse.
 Dum capiti sacrat laurea ferta tuo.
Hoc opus est laudis. caput erexisse sub astra
 Per virtutis iter: cætera vana. nihil.
Utere quasitis. felicibus utere fatis:
 Omnia tunc bona sunt. cū benè fata volunt.
Ex animo vivas longe vi Nestoris annos.
 Sate bonā frui or semper. Amice. V A L E.

Amoris ergo scripsit

Basilus Lucius HBasil.

E I N I S.

